



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

Symbolum XLIII. Dædali felix volatus, infelix Icarī filij.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

fa fuit silvas impensius sectandi, & curas domesticas in ferarum agitationem divertendi. Tertio, quid faciunt bruta animalia in cœlo? cur à Jove, & Dijs cæteris inserta sunt astris? ut indicetur, quale sibi cœlum fingant, qui cupiditatibus suis abrepti, in ijs felicitatem suam repositam credunt. Sic venator *Canes* etiam inter sidera suspicit; equorum studiosus, *Cyllaros & Pegasos* contemplatur; sectator Bacchi sua desideria ad *Amphoram* mittit; avarus, inauratos *Arietes* miratur; invidus oculos in scorpianos, caudâ venenum lethale ferentes intendit; libidinofus proclives in Venerem *Tauros* considerat; iracundus flammivivos *Leones* inter astra colit; pigritiæ deditus tardigrados *Cancros* sibi objicit; mensarum affecla, in *Lepores & Pisces* sidereos prurit; superbus in *Capricornum*, Jovis collactaneum, hoc est, tollentem in altum cornua Caprum lumina vertit; ita nullum est Vitium, cujus in cœlo, velut in alto ferarum stabulo imago non repræsentetur, & falsa specie sideris, non ametur ac desideretur.

SYMBOLUM XLIII.

Dædali felix volatus, infelix Icaris filij.

8. *Metamorph.*

Ethicè.

1. Opificum invidia mutua. 2. Ingenium vafrum. 3. Ingenium solers. 4. Parentum officia. 5. Temeritas juvenilis.

Dædalus Atheniensis, artificum omnium suæ ætatis præstantissimus, invenit primus perpendiculum, terebram, glutinum, vela, antennis, statuas, nervis & rotis occultis mobiles, quæ *automata* vocantur. Hic ex invidia *Perdicem* sororis filium, de muro arcis Athenarum deturbavit, quod is ferram, circinum, tornum excogitasset, quem Minerva ingeniorum faulrix in avem cognominem, in ipso casu suo transformavit. Quam ob causam Dædalus judicium & damnationem metuens, in insulam Cretam exulatum profugit. Hic *Labyrinthum* construxit, multiplici & intricata viarum perplexitate irremeabilem; in quo tam ipse, quam filius Icarus à Minoë Cretensium rege fuit inclusus, eò quòd turpibus *Pasiphaës* reginæ amoribus fabricando subservisset;

set; & *Ariadne*, Minois filia, ejus operâ Theſcum è labyrintho emiſiſſet. Cùm igitur terra, marique negatum ſibi videret effugium, ſolus reſtabat aër, per quem fugam duxit eſſe tentandam. Simulat ergo munus ſe conficere velle, & opus mirabile, quò regis placare poſſet animum; poſcit ceram & varias pennas; quibus impetratis; conficit alas & ſibi, & *Icaro* filio: annectit eas humeris, & avium in modum libratus è Creta in inſulam Sardiniam aërium carpit iter. Urbem *Cumas* delatus, *Apollini* templum erigit, grati monumentum animi. *Icarus*, dum ſpretis paternis monitis, juſtò altiùs evolat, cera ſolaribus liquefacta radijs ſolvitur, decidunt pennæ, & ipſe delabatur in mare, cui nomen à ſe *Icarium* fecit.

Ethica.

I. (a) In adagijs dicitur: *Figulus figulo invidet, faber fabro.* Artificij enim ſimilitudo magis æmulationem, quàm benevolentiam conciliat. *Hesiodus* canit:

Καὶ κεραμῆι κεραμῆος κοῦτε, καὶ τέκτονι τέκτων,
Καὶ πλώχῳ πλώχῳ φθονεῖ, καὶ αἰοῖδὸς αἰοῖδῳ.
Odit namque faber fabrum, figulùſque moleſtus
Eſt figulo: mendico protinus invidet alter
Mendicus: cantor cantorem lividus odit.

Uſſit invidentia *Dædalum*, & incedit adeò; ut adoleſcentem ingenioſum, propinquo junctum ſanguine, in diſciplinam ſibi à ſore traditum, ob induſtriam & ſolertiam mentis, præcipitârît ex alto; & mentitùs ſit inſuper, eum lapſum fortuito caſui deberi. An non profectus diſcipuli cedebat in laudem magiſtri? ſed invidia cæcutit ad honeſta, quamcunq; ſit oculata in rebus alterius reprehentioni ſubjectis. Neque rarum eſt, ut diſcipuli laborent ingrati animi vitio; magiſtri verò livorùs afflentur veneno; quiritantur ſcilicet ſi oleum perdant & operam in ſtupidis & bardis inſtruendis capitibus; irritantur, ſi nanciſcantur ingenia ſuiſmet feliciora, & artis dubiam factura palmam; timent, ne diſcipulus ſupra magiſtrum.

II. De *Perdice* *Ovidius*:

----- at illum

Quæ favet ingenijs, excepiſt Pallas, avênque
Reddidit, & medio velavit in aëre pennis:

G g

Seqt

(a) Opificum invidia mutua.

Sed vigor ingenij quondam velocis, in alas,
Inque pedes abiit, nomen quod & antè, remansit.

Quid sibi hoc: *ingenium in alas abiit*? In Pegaso jam diximus, illum ad musas non esse natum, quem deficit celeritas inveniendi. Si elaboraturo poema: Si texturo orationem Rhetoricam: si dicturo ad populum, stillatim tantum labuntur in mentem verba, non habet is quod metuat, ne obruatur eloquentiae flumine. Neque Dædalum aget, vel nepotem Dædali, si laboriosè quidem tundat incudem, nihil tamen nisi lentè extundat. Ingenium *Perdix*, etiam avis factus, retinuit, sed in alis duntaxat, quibus nequitiam suam texit. (b) Apud Pierium lib. 24. *Perdix, astutia prava* hieroglyphicum est. Quid enim? ex alto præceptus actus, mutatur in avem sui nominis; quâ quid astutius & nequius? homines, inquit Pierius, improbi cum à Sapientiæ (scilicet Athenarum) arce deciderint, à rectis honestisque studijs alieni facti, tametsi astutia freti aliqua, suis in rebus excellere videantur, hisque tractandis super alios attonli, sordidis tamen rebus impliciti, nihil sublime sapiunt, sed perdicum instar humi volitantes, dolis & fraudibus subnixi, rem quocumque modo student facere; quibus ars est vaferrima ad elabendum, capturamque declinandam, quod Græci dicunt *ἐκπεδίσειν*, *perdicum more se extricare*.

III. (c) Meritò celebratur ab omnibus artificium Dædali; quid enim ingeniosius?

----- geminas opifex libravit in alas

Ipse suum corpus, motaque pendit in aura.

Verè Poëta:

----- grande doloris

Ingenium est, miserisque venit solertia rebus.

Quid ars possit & ingenium, atque depromptum ab utroque consilium Dædalus verbis ostendit & factis.

----- Terras licet, inquit, & undas

Obstruat; at cœlum certè patet, ibimus illac;

Omnia possideat, non possidet æthera Minos:

Dixit: & ignotas animum divertit in artes,

Naturamque novat;

Dum ex homine efficit volucrum. Tanta vis inest menti, celeres habenti motus; nullis claudi potest repagulis; altius evolat, & super obstantes difficultates eluctatur. De hac Ovidius lib. 4. *Trist.*

Sola

(b) *Ingenium vaferrim.* (c) *Ingenium solers.*

Sola nec infidias inter, nec militis ensem,
Nec mare, nec ventos, barbariémque timet,

Et lib. 3. Eleg. 7.

En ego cùm patria caream, vobisque, domoque,
Raptaque sint, adimi quæ potuere mihi.

Ingenio tamen ipse meo comitorque, fruorque:
Cæsar in hoc potuit juris habere nihil.

Quantò viribus prævaleat ingenium, apologus docet. Leo comprehensus laqueo, totis viribus vincula disrumpere conabatur; quò autem majore conatu restim trahebat, hòc arctiùs implicabatur. Vulpes illac iter habens, cùm hoc esset intuita: Non viribus, inquit, mirex, istinc evades, sed ingenio. Relaxandus est laqueus & dissolvendus, non trahendus. Quod cùm leo fecisset, soluto nexu liber evasit. Et solertia quid valeat, videmus in sciuro, quantillo animalculo, cui cauda petasi instar, est in sole pro umbraculo: in transiliendis arboribus pro ala: in tranandis, dum cortici insistit, aquis pro velo. In proverbium abiit: *Dadali ala.* cùm quis urgente necessitate ad subita confugit confilia,

IV. (d) Monitis suis Dædalus partes omnes boni parentis explevit. Audiamus Nasonem:

Instruit & natum; mediòque ut limite curras,

Icare, ait, moneo: ne, si demissior ibis,

Unda gravet pennas: si celsior, ignis adurat:

Inter utrumque vola.

Et 2. de arte.

Nam sive ætherias vicino Sole per auras

Ibimus, impatiens cera calorìs erit.

Sive humiles propiore freto jactabimus alas,

Mobilis æquoreis penna madescit aquis.

Pari ratione Phaëtonem suum Phœbus monuit lib. 2. Metam.

Altiùs egressus cœlestia signa cremabis,

Inferius terras: *medio tutissimus ibis.*

Itaque primò observandum erat Icaro: *inter utrumque vola.* Hoc est. *Medium tene.* Horat. lib. 2. Carm. Od. 10. Auream vocat mediocritatem, & monet:

Rectiùs vives, Licini, neque altum

Semper urgendo, neque dum procellas

G g 2

Cautus

(d) Parentum officio.

Cautus horrefcis, nimum premendo
Littus iniquum.

Idem lib. 1. ferm. Sat. 1.

Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos ultra, citraque nequit consistere rectum.

Et lib. 1. epistol. 18.

Virtus est medium vitiorum, & utrinque reductum Solonis nobile dictum celebratur: *Μὴδὲν ἄγαν. ne quid nimis*, & Cleobuli: *μέτρον ἀρίστον, modus est optimus*.

Alterum paternum Dædali monitum: *Me duce carpe viam. Et de arte*:

Me pennis sectare datis: ego prævius ibo:
Sit tibi cura sequi; me duce tutus eris.

Nempe parentum exempla, sunt optimi filiorum magistri. Rationem educandæ proles ab animalibus brutis docet, proponitque S. Ambrosius. Primò, inquit lib. 1. hexam. c. 18. accipitres pullos suos nidis eji-
unt, ac, si morentur, propulsant pennis, atque præcipitant, verberant alis, cogunt audere quod trepidant, nec ullum postea deferunt his munus alimen-
tiæ. Rationem subdit: à tenero pullos suos instituere videntur ad prædam, quia prædando vivere debent; cavent, ne pigrescant in ætate tenera, ne solvantur deliciis, ne marcescant otio, ne discant cibum magis exspectare, quàm quærere. Idem c. 17. hirundines adducit, quæ pullos cæcutientes suâ norunt oculare chelidoniâ, ut Tertullianus loquitur. Et lib. 4. c. 6. urfas proponit, quæ foetus informes tamdiu lambunt, donec eos ad sui similitudinem efforment. Et aquila plumescentes pullos alis verberat, exemploque suo provocat ad volandum. Ita facit DEUS ipse, Deut. 32. *Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans, expandit alas suas, & assumpsit eum (populum Israëliticum) atque portavit in humeris suis.* Quod imitentur parentes, probitate vitæ liberos suos in sequelam trahentes. Aquilæ pullos suos ad solem explorare feruntur, nidoque proturbare, tanquam illegitimos, qui nictantibus hunc oculis intuentur. Ita probandi filii, & primis ab annis instruendi ad Solem illum æternum cognoscendum, amandum, colendum. Regulus seu trochilus avicularum minima, cum suis viribus altiùs eniti in cælum non queat, super aquilæ pennas se recipit, & sic plumeo quasi effedo in sublime fertur. Faciendum hoc parentibus; tenella proles præmiolis ad pietatem & mores bonos invitanda, sic quasi molliore via paulatim ad virtutis ardua sub-

subvehenda. Documentum educandæ juventutis etiam cervæ edunt, quæ partus à se editos exercent cursu, fugamque meditari docent, ad prærupta ducunt, saltum demonstrant, ait Plinius lib. 8. c. 32. Philomelæ, quod Aristoteles scribit lib. 4. hist. animal. c. 9. præcununt pullis, eosque docent modulos, quos imitentur. Monitum est Siracidis c. 30. *Doce filium tuum, & operare in illo, ne in turpitudinem illius offendas.* Hoc est, operam omnem illi rectè instituendo nava, ne impingas & confundaris eius dedecore ac infamia, quam incurres cum ipso ob licentiam pravam vendi. Legitur inter fabulas Æsopicas, seniori cancro filios suos ob gresum obliquum increpantri, respondisse illos, prius ut ipse rectà incederet, tum se præeuntem secuturos; Quod cum frustra conaretur, nihil aliud, quam risum juniorum retulisse. Usque adeo parentes oportet esse duces filiorum bonos, & illius meminisse, quod Dædalus inculcavit filio: *Me duce carpe viam.*

Tertiò apparet in Dædalo sollicitudo magna, metusque, ne filius in super habita admonitione paterna, volatu temerario feratur. Ovidius:

----- ignotas humeris accommodat alas,
Inter opus, monitusque genæ maduere seniles,
Et patriæ tremuere manus: dedit oscula nato
Non iterum repetenda suo, pennisque levatis
Antevolat, comitique timet.

Et alibi idem Poëta:

Et movet ipse suas, & nati respicit alas
Dædalus, & cursus sustinet usque suos.

Præfagebat jam tum optimus senex ruinam filii, fidentioris æquò, & volandi avidioris. Vultus ipse pueri, notas præferebat audaciæ nimis. Neque difficile est, levitatis & petulantis indicia primis in herbis pueritiæ deprehendere, & ex unguiculis ungues colligere. Urit maturè urtica; in calyce se rosa prodit. Ovidius canit:

Ingenium cæleste suis velocius annis
Surgit, & ingrata fert mala damna moræ.

Juxta Sapientes, imago cordis est vultus: oculi sunt speculum mentis; vox quædam animi, corporis est motus. Seneca in Thyeste;

----- tacita tam rudibus fides
Non est in annis.

Prodit se natura in pueris, nondum per fraudes simulare docta. *Ex studiis, inquit Sacer parcemiastes c. 20. Suis intelligitur puer, si munda & recta*

recta sunt opera eius. Non desunt tamen, quorum malitia superat ætatem: quique fronte, oculis, vultu mentiri didicerunt, à sanguine patris traduce, à lacte matris bibito, à malorum consortio. Non frustra Dædalo *genæ maduere seniles*, nam ex vultu Icarî apparebat juvenilis ferocitas, & quædam ad audendum projectio.

V. (e) Icarus paradigma est temeritatis & levitatis juvenilis. Poëta depingit eam:

Cùm puer audaci cœpit gaudere volatu,
Deservitque ducem, cœlique cupidine tactus
Altiùs egit iter. Rapidi vicinia Solis
Mollit odoratas, pennarum vincula, ceras;
Tabuerant ceræ, nudos quatit ille lacertos,
Remigióque carens, non ullas percipit auras:
Oraque cæruleâ patrium clamantia nomen
Excipiuntur aquâ, quæ nomen traxit ab illo.

Sic cadunt, quicumque temerariè nituntur in altum, & volant *pennis non homini datis*: ut loquitur Horatius lib. 1. Od. 3. Præfidens Icarî levitas, speculum est juvenum, de quibus idem Poëta in arte Poëtica.

Imberbis juvenis tandem custode remoto
Gaudet equis, canibusque, & aprici gramine campi:
Cereus in vitium flecti, monitoribus asper,
Utilium tardus provisor, prodigus æris,
Sublimis, cupidusque, & amata relinquere pernix.

Idem ibidem de puerili genio:

----- gessit paribus colludere, & iram
Colligit, & ponit temerè & mutatur in horas.

Hebræi Ecclesiastici c. 30. cautio est; *Equus indomitus evadit durus, & filius remissus* (Græcè ἀνευρέτος, id est, *sibi relictus*, carens freno disciplinæ, dissolutus) *evadet præceptis.* Quod Seneca dixit in Troiade.

Juvenile vitium, est regere non posse impetum.

Id veteres alia imagine figurarunt. Exprimebant adolescentem nudum, velo quodam obductos oculos habentem, cuius dextra post tergum erat vineta; læva soluta; hunc insequebatur *Tempus*, multas occasiones subministrans. Singulis verò diebus filium unum de velo, quo facies illius operiebatur, detrahebat. 1. *Nudus* adolescens significat, ætatem illam judicio & ratione carere, deque malis, quæ gessit, gloriari; tantum abest, ut erubescat. 2. *Clausos* habet oculos, quia tanquam cæcus

(e) *Temeritas juvenilis.*

cæcus fertur in vitia præceps, alium non habens ductorem, quàm pravo affectu suos. 3. Dextram habet *ligatam*, sinistram *solutam*, quia nihil dextrè & consideratè agit, sed omnia sinistrè, perturbatè, prout affectus dicitur. 4. Hunc persequitur *Tempus*; nam fugiunt anni, & accelerant mortem, serò pristinos dies optanti. 5. Quotidie *filum* unum de velo detrahitur, quia vita per singulos dies minuitur, & infructuosa docet experientia, retro esse *Occasionem calvam*, antrorsum *capillatam*; hinc apprehendendam esse. Expertus est Icarus exitio suo, quid sit parentum monita, quid seniorum consilia spernere; spiritus elatos sequi, & sine duce, in media se pericula inferre, mentis præcipiti ac ferociente impetu, & casuum instantium improvido. Genus, opes, potentia, forma, vires, quid sunt aliud, quàm pennæ ex cera factæ, levissimo momento dissolvendæ? Has inflant assentantium voces: *euge! belle! σοφως!* Juvenis es, dives es, gratiosus es, Fortunæ pullus es; quin audes aliquid ætate, indole, libertate tua dignum? procure de carceribus, in quibus adhuc parentum te severitas constrinxit? utere donis tibi à Natura, & meliore Sorte concessis. En flabra, en alas, quas affingunt & affigunt incauto pravi Socieni; quibus dum se vecors permittit animus, tantò profundius descendit ad inferos, quantò sublimius fictitiis alis evolasse sibi videbatur. Plenæ sunt historiæ hujusmodi *Icaris*, serò nimis opem clamantibus, & temeritatem suam damnantibus; seri gemitus, sera suspiria, cum ora *careulea* excipiuntur aqua.

Atque ut Icarus est symbolum adolescentis stolidi & vecordis: ita Dædalus imago viri sapientis est, qui ex *Labyrintho*, è negotiis, inquam, impeditissimis, *labore & constantiâ*, quod Lipsii fuit Symbolum; *ingenio & industria, pietate & doctrinâ* geminas sibi comparat alas, quibus è maximarum difficultatum perplexitate sese explicat, & supra hominum, eventus admirantium, consilia non capientium, opiniones ac judicium sublimis fertur.



SYM-